

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 1: De peccatis Caput 3: De ira (15)

Idem (Gregorius):

Duobus modis fracta possidere animum ira desuescit.  
Primus quidem est ut mens sollicita sit antequam agere quodlibet incipiat,  
omnes quas pati potest, contumelias proponat,  
quatenus redemptoris sui cogitans opprobria ad adversa se preparat.  
Que nimirum tanto fortius excipit  
quanto se cautius ex prescientia armavit.

Secundus modus est servandus mansuetudinis,  
ut cum alienos excessus aspicimus,  
nostra, quibus in alios excessimus, debita cogitemus.  
Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena.  
Patienter quippe illatam iniuriam portabit,  
qui pie meminit quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat et ipse tollerari.  
Et quasi aqua ignis exstinguitur, cum surgente furore animi,  
sua cuique ad mentem culpa revocatur quia erubescit peccata non parcere,  
qui vel Deo vel proximo semper recolit se non parcendo peccasse.  
Sed inter hec solerter sciendum est quod alia est ira,  
quam impatientia excitat, alia quam zelus format.  
Illa ex vicio hec ex virtute generatur.  
Si enim nulla ira ex virtute surgeret,  
divine animadversionis impetum fingere per gladium non possemus.  
Hanc quia Eli non habuit,  
motum contra se superne ultionis excitavit.

Unde Psalmus: Irascimini et nolite peccare.  
Quod nimirum non ratione intelligunt qui irasci nos nobis tantummodo,  
et non etiam proximis delinquentibus volunt.  
Si sic proximos ut nos amare precipimur,  
restat ut sic eorum erroribus sicut et nostris vitiis irascamur.  
De hac per Salomonem dicitur:  
Melior est ira risu  
quia sicut per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis,  
  
ita vitium proximi oculum mentis excecatur.

Curandum sumopere est  
ne hec que in virtutis assumitur famulatum accipientis  
menti ira dominetur, neque quasi domina preeat,  
sed velut ancilla ad obsequium parata a rationis tergo numquam discedat.  
Tunc enim robustius contra vitia erigitur cum subdita rationi famulatur.  
Nam quantumcumque ira ex zelo rectitudinis surgat,  
si immoderate mentem vicerit, rationem protinus servare contempnit,  
et tanto se impudentius dilatatur, quanto impatienter vitium virtutem putat.

Unde necesse est ut hic ante omnia qui zelo rectitudinis movere se attendat,  
ne extra mentis devium transeat in ultionem peccati, sed tempus  
modumque considerans surgat, animi perturbationem  
subtilius retractando restringat,  
animositatem reprimat, et motus fervidos sub equitate disponat,  
ut eo semper sit iustior ultor alienus quo prius extitit ultor suus,  
quatenus sic culpas delinquentium corrigit,  
ut ante ipse qui corrigit, per patientiam crescat,

ut fervore excitatus zelo rectitudinis  
longe a rectitudine non aberret.

Duobus etenim modis fracta possidere animum ira desuescit.  
Primus quippe est ut mens sollicita antequam agere quodlibet incipiat,  
omnes sibi quas pati potest, contumelias praeponat,  
quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se praeparet.  
Quae nimirum venientia tanto fortior excipit  
quanto se cautius ex praescientia armavit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45  
(CCSL 143, M. Adriaen ed., p.278, ll.96-101).

Secundus autem servandae mansuetudinis modus est  
ut cum alienos excessus aspicimus,  
nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus.  
Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena.  
Patienter namque illatam iniuriam tolerat  
qui pie meminit quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tollerari.  
Et quasi aqua ignis exstinguitur, cum surgente furore animi,  
sua cuique ad mentem culpa revocatur quia erubescit peccata non parcere,  
qui vel Deo, vel proximo saepe se recolit parcenda peccasse.  
Sed inter haec solerter sciendum est quod alia est ira,  
quam impatientia excitat, alia quam zelus format.  
Illa ex vitio haec ex virtute generatur.  
Si enim nulla ira ex virtute surgeret,  
divinae animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset.  
Hanc iram quia Eli non habuit,  
motum contra se implacabiliter supernae ultionis excitavit.  
Nam quo contra subditorum vitia tepuit,  
eo contra illum districtio aeterni rectoris exarsit.  
De hac per psalmistam dicitur: *Irascimini et nolite peccare.*  
Quod nimirum non recte intelligunt qui irasci nos nobis tantummodo,  
non etiam proximis delinquentibus volunt.  
Si enim sic proximos ut nos amare precipimur,  
restat ut sic eorum erroribus sicut nostris vitiis irascamur.  
De hac per Salomonem dicitur:  
Melior est ira risu  
quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.  
De hac iterum psalmista ait: *Turbatus est prope ira oculus meus.*  
Ira quippe per vitium oculum mentis excaecat,  
ira autem per zelum turbatur quia quo saltim recti aemulatione concutitur,  
ea quae nisi tranquillo corde percipi non potest, contemplatio dissipatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45  
(CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.279-80, ll.111-139).

Sed cum per zelum animus mouetur,  
curandum sumopere est  
ne haec eadem quae instrumento virtutis assumitur,  
menti ira dominetur, ne quasi domina praebeat,  
sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nunquam recedat.  
Tunc enim robustius contra vitia erigitur cum subdita rationi famulatur.  
Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat,  
si immoderate mentem vicerit, rationi protinus servare contempnit;  
et tanto se impudentius dilatatur, quanto impatientiae vitium virtutem putat.

Vnde necesse est ut hoc ante omnia qui zelo rectitudinis mouetur, attendat  
ne ira extra mentis dominium transeat, sed in ultione peccati tempus  
modumque considerans, surgentem animi perturbationem  
subtilius pertractando restringat,  
animositatem reprimat et motus fervidos sub aequitate disponat.  
Vt eo fiat iustior ultor alienus quo prius extitit victor suus,  
quatenus sic culpas delinquentium corrigit,  
ut ante ipse qui corrigit, per patientiam crescat,  
et feruorem suum transcendendo diiudicet  
ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis,  
longe a rectitudine aberret.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45  
(CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.280-1, ll.156-174).